



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1606. usque ad annum 1610

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1776**

**VD18 90118820**

§. 114. Antistita Trebnizensis foedifraga.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67222](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-67222)

Sæc. XVII.  
A. C. 1610.

§. CXIV.

*Antistita Trebnizenis, fædifraga.*

*Merc. Gal-* **E**o tempore, quo Vratislaviae Princi-  
*tobelg. l. 34.* pes Protestantes ceterique Silesie

Status præsentibus Cæsaribus ac Matthei Hungariæ Regis Oratoribus sua celebrent comitia, ex condicto quædam mulier nomine ac stirpe Maria Lukia scriptum quoddam eis exhiberi curabat: Hæc Patre Lutherano progenita sub sæculi Superioris exitum in nobili Trebnizensi cœnobio juvenis admodum nuncupatis Deo palam votis sacramentum dixerat, annisque aliquot evolutis simulatæ virtutis suffragio, priusquam oportuisset, in Antistitam renuntiata cunctas præter seipsam regere cœperat. Postea domestico soluta magisterio liberius vivendi nacta potestatem, quicquid illecebrarum lena, & foemina procacitas dictabat, impune exequebatur: tandem vero cœnobii sui leges exosa, priusquam ætas & forma deflorescerent, libidinosi æstus impotentia Virum nuptiasque quærere felnabat: convasatis igitur clam e monasterii spoliis, quibus dein muliebrem sibi mundum instrueret, auffugit, Antistitæ sacrum pedum, capitisque velum abiciens. Ut vero sui perjurii fœditatem

vela-

velaret, scripto quodam, ut memini- Sæc. XVII.  
mus, Sacrilegi sui divertii caussas Sta- A.C. 1610.

tibus exposuit. Erant autem hæ, I.  
quod per suam suorumque amicorum  
imprudentiam decepta in monasterium  
præcipitata fuerit. II. Externa singu-  
laris sanctitatis specie quasi excoecata  
Papisticorum errorum labyrintho, re-  
pugnante subinde conscientia, sese in-  
volverit, indies vero magis ad Idolo-  
latriæ cognitionem pervenerit, cum  
animadverterit, in Sacris literis pro-  
hibitam esse defunctorum memoriam,  
se multa latine, quæ non intelligeret,  
per nares potius, quam ex corde can-  
tare obstrictam esse, hos vero cantus  
nil aliud esse, quam nærias anicularum,  
ad cunabula gannientium: III. quod  
deprehenderit, preces, jejunia, alios-  
que humanos ritus, plusquam Deum  
ipsum, observari, S. Cænam mutilari,  
conscientias confessione excruciarci, &  
homines ad bona sua opera remitti.  
IV. Hos errores ex lectione Catechismi  
Lutherani detegere didicerit, proin spe-  
ret, quod Deus ipsi condonatus sit  
hunc lapsum. V. Quia Dei mandato con-  
jugium indicitur, sterilique conjugio  
Mater filiorum lætans præferatur, hinc  
& ipsa nubere lege naturæ juberetur.  
Hæ erant momentosæ illius rationes:  
quoniam vero vix non omnes e septis  
cœno-

Sæc. XVII. cœnobiticis prosilientes mulierculæ,  
A. C. 1610. id ridiculæ arrogantiae habeant, ut e  
Sacrī Paganis curiose lectitatis, & ne-  
quidem intellectis garrire & disputare  
gestiant, cum potius ad colum, pensum  
& fusos sedere, nere, & filere debe-  
rent, hinc & illa pari etiam ostenta-  
tione tritos ex D. Paulo textus, quibus  
jam Lutheri tempore Minsterbergenſis  
Ducissa, Dorothea Thanbergia, & Mar-  
garita Volernara deserti monasterii  
Freibergensis turpitudinem honestare  
nitebatur, coram Silexiæ Statibus ven-  
ditabat, tandem suum scriptum his ver-  
bis concludens: *Igitur in nomine Sanctissimæ Trinitatis propugnoscum honorem & putidam Abbatissæ pompam exui:* Postre-  
mo, ne quid sacrilega ejus fuga mo-  
lestiæ pateretur, Protestantium defen-  
sionem ac patrocinium implorabat. Ce-  
terum longe magis gloriōsus erata Cal-  
vini secta ad fidem Catholicam transi-  
tus Masencuriæ nobilitissimæ fœminæ,  
quæ acri prædita ingenio sectæque suæ  
tenacissima, Sacras Paginas, ut unguis  
digitosque suos norat, ac purum Evan-  
gelium ubique crepans de Sacrī literis,  
& Theologiæ arcanis jactanter di-  
sputare assueverat, cum vero, Mo-  
linæum Calvinistarum Antesignanum  
a Patre Gonterio devictum cerneret,  
priori anno hæresin Parisiis publice eju-  
rabat;

rabat: obliuctabatur quidem aliquam- Sæc. XVII.  
 diu internæ inspirationi, se tandem vi- A. C. 1610.  
 cas daturam manus spondebat, si Gon-  
 terius, Evangelium Calvini opinioni-  
 bus depravatum fuisse, probare, & Mo-  
 linæum eo adigere posset, ut is Geneven-  
 sum etiam Scripturam rejicere cogere-  
 tur: Accipit conditionem Gonterius,  
 afferuntur Biblia tum Catholica, tum  
 Genevensia, conferuntur inter se, &  
 deprehenduntur hæc plena fraudis, ma-  
 laque fidei, manca, mutila & corru-  
 pta. Spondet insuper Gonterius, quod  
 Molinæum ita urgere velit, ut conce-  
 dere teneretur, *quod si Christus in Eu-*  
*charistia pro delictorum remissione Sangu-*  
*nem suum effudit, tum eoipso ibidem Deo*  
*fiat oblatio:* atque eoipso Gene-  
 vensis Biblia repudiare compellere-  
 tur: Hanc ergo in rem ex Bibliis Ge-  
 nevensibus Sacerdos Catholicus hæc  
 verba allegabat: *Hic est Sanguis meus*  
*novi Testamenti, qui pro multis EFFU-*  
*SUS est in remissionem peccatorum,* mox  
 igitur Molinæus se capi sentiens, ab  
 ipso Genevensi Codice provocat, asse-  
 ritque vocem illam *effusus est, pro ef-*  
*fundetur, accipiendam, prout in Catho-*  
*licis Bibliis legitur.* Adiuncta con-  
 ditione hæc Matrona promissis stetit,  
 quæ in suscepta fide magis roborata est,  
 dum ejus Socia Domina de Sallagnac  
 eun-

Sæc. XVII. eundem Molinæum, qui intra priora  
A.C. 1610. quinque Ecclesiæ sæcula de Missa aliis-  
que, quæ hodie Catholici credunt, in  
S. Patribus nil reperiri ajebat, egregie  
confutabat, citans Divum Cyprianum,  
qui refert decretum veterum Episcopo-  
rum Provincialium, quo cautum, ne  
quis Clericus tutorem testamento con-  
stituat, & si secus fecerit, pro eo non  
offerretur, nec sacrificium pro ejus dormi-  
tione celebraretur, quia apud Altare Dà  
non mereretur nominari in Sacerdotum  
precibus, qui ab Altari Sacerdotes &  
Ministros avocare voluit. Ex quibus  
verbis Molinæo objecerat, quod jam  
ante prima quinque sæcula Aræ, Sa-  
cerdotes offerentes, Liturgia, Sacri-  
ficia, mortuorum suffragia, ususque quo-  
dam a Christianorum confortio exclu-  
dendi &c. extiterint. Num porro Catholi-  
ci ex hujus fœminæ, quam veritatis lu-  
men revocavit, conversione, vel Cal-  
vinistæ ex Lukiæ suæ, quam carnis li-  
bido e clastro extraxerat, apostolia  
amplius gloriandi argumentum habeant,  
aliorum judicio relinquimus.

### §. CXV.

*Constitutiones a Paulo V. editæ.*

Bull. magn.  
Const. 61.  
& seq.

Hoc anno Paulus V. summus Ponti-  
fex nonnullas edidit Constitutiones,  
qua-